



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelia Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 4. Politia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

## CAPUT III.

*Descriptio Historica Græcia recentioris in particulari.*

§. I. *De Romania.*

NVM. I. *Nomen Romaniae.*

**D**icitur antonomasticus Romania, aliter Rumelia, quia in eâ Constantinopolis sita est, quæ & Noua Roma dicta est. Cetera petes ex §. I. cap. I. huius libri.

NVM. 2. *Quantitas Romaniae.*

*Longitudo* eius desumitur ab urbe Cauallâ in limite Macedonico, ad Castella supra Constantinopolim, quæ distantia dat 4. gradus maioris circuli hoc est 240. mil. pass. Geometricorum, leucas Francicas 120. Germanicas 60.

*Latitudo* autem à Pro. Mastysia, vulgo *Cabo Grega* in Chersoneso, ad ostia fluuij *Panyz*, infra Varnam, quæ est omnino eadem cum longitudine.

NVM. 3. *Qualitas Romaniae.*

**R**EGIO temperata satis, purissimi aëris circa Hadrianopolim; Constantinopoli propter vicinum mare & venti, & frigora, & calores alternis sequunt; pestisque admodum obnoxia est: urbi circumposita regio feracissima est, sed sterilis ex negligentia Turcarum, quoniam mari facile subuehuntur omnia ad vitam, & delicias necessaria. Pascua item lattissima sunt, ora autem adeò pisco-savt Bosphorus Thracius, idèo Vere aureus, Autumno argenteus dicatur.

NVM. 4. *Politia Romaniae.*

PENDET ex Begierbego Rumeliæ, sed quia Constantinopoli residet Imperator, patùm isthic iuris habet. Negotia omnia in urbe per quatuor Iudices expediuntur, & curantur diligentissime; per alium Hadrianopoli ius redditur. Multi equites sparsi sunt per Thraciam, ut ab Imperatore exercitus facile, & citè co-

*Parall. Geogr. Tom. II.*

Mmm

gi possit. Turcæ vbiq[ue] otiosi, nam agriculturam relinquunt indigenis Christianis, mercaturam Iudeis, & Ital[is].

### §. 2. De Macedoniâ.

#### NVM. I. Nomen.

IN Historiis recentioribus, & Relationibus, atque Hod[em]poris maxima pars Macedoniæ, & Thessaliam uno nomine MACEDONIA nominatur, licet reuera ab indigenis secernatur, in hæc nomina *Tamboli, Macedonia, Comenolitari, Ianna*, quæ tibi in Geographi- cā descriptione proponentur.

#### NVM. 2. Quantitas Macedonie.

*Latitudo* à montis Karoptnitzza, seu Orbeli vertice, ad intimum sinum Malliacum, vulgò del Zito, 4. gradus totos reddit, ac proinde 240. millia passuum, leucas nostrarates 120. Germanicas 60.

*Longitudo* ab extremo Promontorio Montis Sancti, ad montes Albaniam dirimentes extenditur, quæ reuocata ad maiorem circulum dat quoque 4. gradus, ac proinde longitudinem omnino similem latitudini facit.

#### NVM. 3. Qualitas Macedonie.

RECO tota frumento abundat, & quibusdam in locis vite, & oleâ: innumeræ h[ic] quoque feræ, & armenta pulcherrima. In fodinis Siderocapsinis aurum eruitur & plurimum, & purissimum ad Sultanos percutiendos, vulgò des Squins.

#### NVM. 4. Politia.

SANIACVS Thessaloniciæ, maximæ est, & præcipuæ in hoc trætu auctoritatis, & 400. equites alit: indigenæ tantum non mancipia, miseram Turcis seruiunt seruitutem. Sed mercatores humaniter accipiuntur, spe lucri. Vrbs Thessalonica vendita fuerat Venetis ab Andronico Palæologo, quibus erepta est ab Amugatho II.